

LE TEMOIN FACE AU DIVIN

1. les *testimonia diuina*, un objet « oublié »

(1) Cicéron, *Part.*, 6 : C.F. Quomodo igitur duo genera ista dividis? C.P. Quae sine arte putantur, ea remota appello, ut testimonia. C.F. Quid insita? C.P. Quae inhaerent in ipsa re. C.F. Testimoniorum quae sunt genera? C.P. Divinum et humanum: divinum, ut oracula, ut auspicia, ut vaticinationes, ut responsa sacerdotum, haruspicum, coniectorum, humanum, quod spectatur ex auctoritate et ex voluntate et ex oratione aut libera aut expressa: in quo insunt scripta, pacta, promissa, iurata, quaesita.

(2) Cicéron, *Topica*, 77 : Diuina haec fere sunt testimonia: primum orationis – oracula enim ex eo ipso appellata sunt, quod inest in his deorum oratio –, deinde rerum, in quibus insunt quasi quaedam opera diuina: primum ipse mundus eiusque omnis ordo et ornatus; deinceps aëri uolatus auium atque cantus; deinde eiusdem aëris sonitus et ardores multarumque rerum in terra portenta atque etiam per exta inuenta praesensio; a dormientibus quoque multa significata uisus. Quibus ex locis sumi interdum solent ad fidem faciendam testimonia deorum.

(3) Quintilien, *IO*, 5, 7, 35-36 : His adicere si qui uolet ea quae diuina testimonia uocant, ex responsis oraculis ominibus, duplicem sciat esse eorum tractatum: generalem alterum, in quo inter Stoicos et Epicuri sectam secutos pugna perpetua est regaturne prouidentia mundus, specialem alterum circa partis diuinationum, ut quaeque in quaestionem cadet. Aliter enim oraculorum, aliter haruspicum augurum coniectorum mathematicorum fides confirmari aut refelli potest, cum sit rerum ipsarum ratio diuersa. Circa eius modi quoque instrumenta firmanda uel destruenda multum habet operis oratio, si quae sunt uoces per uinum somnum dementiae emissae, uel excepta paruolorum indicia, quos pars altera nihil fingere, altera nihil iudicare dictura est.

(4) Quintilien, *IO*, 5, 11, 42 : ponitur a quibusdam et quidem in parte prima deorum auctoritas, quae est ex responsis, ut "Socraten esse sapientissimum". id rarum est, non sine usu tamen. utitur eo Cicero in libro de aruspicum responsis et in contione contra Catilinam, cum signum Iouis columnae impositum populo ostendit, et pro Ligario, cum causam C. Caesaris meliorem, quia hoc di iudicauerint, confitetur. quae cum propria causae sunt, diuina testimonia uocantur, cum aliunde arcessuntur, argumenta.

\* \* \*

(5) Tite Live, 22, 1, 14 : His (*scil.* prodigiis), sicut erant nuntiata, expositis **auctoribusque** in curiam **introducitis** consul de religione patres consuluit. Decretum ut ea prodigia partim maioribus hostiis, partim lactentibus procurarentur et uti supplicatio per triduum ad omnia puluinaria haberetur.

(6) Tite Live, 24, 10, 11-12 : quin Romae quoque in ipsa urbe, secundum apum examen in foro uisum (quod mirabile est, quia rarum) ; **adfirmantes quidam** legiones se armatas in Ianiculo uidere concitauerunt ciuitatem ad arma, cum **qui in Ianiculo essent negarent** quemquam ibi praeter adsuetos collis eius cultores apparuisse.

(7) Quintilien, *IO*, 12, 2, 21 : An haec non frequenter tractabit orator ? Iam de auguriis, responsis, religione denique omni, de quibus maxima saepe in senatu consilia uersata sunt, non erit ei disserendum, si quidem, ut nobis placet, futurus est uir ciuilis idem ?

## 2. Quels témoins pour les *testimonia diuina* ?

*Des dieux témoins...*

(8) Cicéron, *De legibus*, 2, 16 : Utilis esse autem has opiniones quis neget, quom intellegat, quam multa firmentur iure iurando, quantae saluti sint foederum religiones, quam multos diuini supplicii metus a scelere revocarit, quamque sancta sit societas ciuium inter ipsos diis immortalibus interpositis tum iudicibus, tum **testibus**?

(9) Cicéron, *De officiis*, 3, 10, 44 : cum uero iurato sententia dicendast meminerit deum se adhibere **testem** id est ut ego arbitror mentem suam qua nihil homini dedit deus ipse diuinius.

(10) Apulée, *De deo Socratis*, 17, 28 : Igitur mirum si Socrates, vir adprime perfectus et Apollinis quoque **testimonio** sapiens, hunc deum suum cognovit et coluit (...).

(11) Cicéron, *Verr.* 2, 5, 186 : uosque, omnium rerum forensium, consiliorum maximorum, legum iudiciorumque **arbitri** et **testes** celeberrimo in loco populi Romani locati, Castor et Pollux, quorum e templo quaestum iste sibi et praedam improbissimam comparauit.

*... aux témoins humains face au divin*

(12) Cicéron, *De diuinatione*, 1, 11-12 : Duo sunt enim diuinandi genera, quorum alterum artis est, alterum naturae. Quae est autem gens aut quae ciuitas quae **non aut extispicum aut monstra aut fulgora interpretantium, aut augurum, aut astrologorum, aut sortium (ea enim fere artis sunt), aut somniorum aut vaticinationum (haec enim duo naturalia putantur)**, praedictione moveatur? Quarum quidem rerum eventa magis arbitror quam causas quaeri oportere. Est enim vis et natura quaedam, quae tum observatis longo tempore significationibus, tum aliquo instinctu inflatuque diuino futura praenuntiat.

(13) Cicéron, *De diuinatione*, 1, 70 et 72 : Exposui quam breuissime potui **somni et furoris oracula**, quae carere arte dixeram. (...) Quae uero aut coniectura explicantur aut eventis animaduersa ac notata sunt, ea genera diuinandi, ut supra dixi, non naturalia, sed artificiosa dicuntur; in quo **haruspices, augures coniectoresque** numerantur.

(14) Cicéron, *Inv.*, 1, 101, 5 : Primus locus sumitur ab auctoritate, cum commemoramus, quantae curae res ea fuerit iis, quorum auctoritas grauissima debeat esse: diis immortalibus, **qui locus sumetur** ex sortibus, ex oraculis, uatibus, ostentis, prodigiis, responsis, similibus rebus; item maioribus nostris, regibus, ciuitatibus, gentibus, hominibus sapientissimis, senatui, populo, legum scriptoribus.

(15) Tite Live, 24, 10, 6-12 : prodigia eo anno multa nuntiata sunt, quae quo magis credebant simplices ac religiosi homines, eo plura **nuntiabantur**: Lanuui in aede intus Sospitae Iunonis coruos nidum **fecisse**; in Apulia palmam uiridem **arsisse**; Mantuae stagnum **effusum** Mincio amni cruentum **uisum**; et Calibus creta et Romae in foro bouario sanguine **pluisse**; et in uico Insteio fontem sub terra tanta ui aquarum **fluxisse** ut serias doliaque quae in eo loco erant prouoluta uelut impetu torrentis tulerit; **tacta** de caelo atrium publicum in Capitolio, aedem in campo Volcani, Vacunae in Sabinis publicamque uiam, murum ac portam Gabiis. iam alia **uulgata** miracula **erant**: hastam Martis Praeneste sua sponte **promotam**; bouem in Sicilia **locutum**; infantem in utero matris in Marrucinis 'io triumphae' **clamasse**; ex muliere Spoleti uirum **factum**; Hadriae aram in caelo speciesque hominum circum eam cum candida ueste **uisas esse**. quin Romae quoque in ipsa urbe, secundum apum examen in foro **uisum** (quod mirabile est, quia rarum), **adfirmantes** quidam legiones se armatas in Ianiculo uidere concitauerunt ciuitatem ad arma, cum qui in Ianiculo essent negarent quemquam ibi praeter aduetos collis eius cultores apparuisse.

(16)

(a) Cicéron, *Har.*, 10 : reperietis enim ex hoc toto prodigio atque responso nos de istius scelere ac furore ac de impendentibus periculis maximis **prope iam uoce** Iouis Optimi Maximi praemoneri.

(b) Cicéron, *Har.*, 18 : Ego enim fateor me et magnitudine ostenti et grauitate responsi et una atque constanti haruspicum **uoce** uehementer esse commotum.

(c) Cicéron, *Har.*, 20 : Qua re, ne plura de re minime loquar dubia, adhibete animos, et mentis uestras, non solum auris, ad haruspicum **uocem** admouete: **Quod in agro Latiniensi auditus est strepitus cum fremitu**. Mitto haruspices, mitto illam ueterem ab ipsis dis immortalibus, ut hominum fama est, Etruriae traditam disciplinam: **nos nonne haruspices esse possumus?**

(d) Cicéron, *Har.*, 61-63 : Mea fuerunt uerba fortasse plura, **sententiae** quidem **omnes** haruspicum, ad quos aut referri nuntiata ostenta non conuenit aut eorum responsis commoueri necesse est. Quod si cetera magis peruulgata nos saepe et leuiores mouerunt, **uox ipsa deorum immortalium** non mentis omnium permouebit? Nolite enim id putare accidere posse quod in fabulis saepe uidetis fieri, ut deus aliqui delapsus de caelo coetus hominum adeat, uersetur in terris, cum hominibus conloquatur. Cogitate genus sonitus eius quem Latinienses nuntiarunt, recordamini illud etiam quod nondum est relatatum, quod eodem fere tempore factus in agro Piceno Potentiae nuntiatur terrae motus horribilis cum quibusdam multis metuendis rebus: haec eadem profecto quae prospicimus impenduntia pertimescetis. Etenim haec **deorum immortalium uox, haec paene oratio** iudicanda est, cum ipse mundus, cum maria atque terrae motu quodam nouo contremiscunt et inusitato aliquid sono incredibilique praedicunt.

### 3. Témoigner des manifestations divines : quelques enjeux

*La forme du témoignage : description, définition, interprétation*

(17) Cicéron, *Cat.*, 3, 21 : Illud uero nonne ita praesens est, ut nutu Iouis Optimi Maximi factum esse uideatur, ut, cum hodierno die mane per forum meo iussu et coniurati et eorum indices in aedem Concordiae ducerentur, [et] eo ipso tempore signum statueretur ?

(18) Tite Live, 31, 12, 6 : Lanuui in templo Sospitae Iunonis nocte strepitum ingentem exortum.

*La crédibilité du témoin : autorité, naïveté, absence*

(19) Tite Live, 5, 15, 1 : Prodigia interim multa nuntiari, quorum pleraque et **quia singuli auctores erant** parum credita spreataque (...).

(20) Tite Live, 5, 15, 12 : sed **auctorem leuem nec satis fidum** super tanta re patres rati decreuere legatos sortesque oraculi Pythici expectandas.

(21) Tite Live, 5, 32, 6-7 : Eodem anno M. Caedicius **de plebe** nuntiauit tribunis se in Noua uia, ubi nunc sacellum est supra aedem Vestae, uocem noctis silentio audisse clariorem humana, quae magistratibus dici iuberet Gallos aduentare. Id **ut fit propter auctoris humilitatem** spretum et quod longinqua eoque ignotior gens erat.

(22) Cicéron, *De diuinatione*, 1, 68-69 : At ex te ipso non commenticiam rem, sed factam eiusdem generis audiui: C. Coponium ad te uenisse Dyrrhachium, cum praetorio imperio classi Rhodiae praesset, **cumprime hominem prudentem atque doctum**, eumque dixisse **remigem quendam e quinqueremi Rhodiorum** vaticinatum madefactum iri minus xxx diebus Graeciam sanguine, rapinas Dyrrhachi et conscensionem in naves cum fuga fugientibusque miserabilem respectum incendiorum fore; sed Rhodiorum classi propinquum reditum ac domum itionem dari; tum neque te ipsum non esse commotum Marcumque Varronem et M. Catonem, qui tum ibi erant, **doctos homines**, vehementer esse perterritos.

(23) Tite Live, 45, 1, 2-4 : Quarto post die quam cum rege est pugnatum, cum in circo ludi fierent, murmur repente populi tota spectacula peruasit pugnatum in Macedonia et deuictum regem esse ; dein fremitus increuit ; postremo clamor, plausus uelut certo nuntio uictoriae allato est exortus. Mirari magistratus et quaerere **auctorem repentinae laetitiae** ; **qui postquam nullus erat**, euanuit quidem tamquam certae rei gaudium, **omen tamen laetum insidebat animis**.